Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13

1798

*

1.

2. *

3. *

4 *

5. *

1798, 3.

# MEMORIAM
# IOANNIS FRIDERICI MAGERI
SENIORIS IN SCABINATV
QVONDAM MERITISSIMI
IN
AVDITORIO ICTORVM
D. VI. NOVBR. A. C. MDCCXCVIII.
HORA IX.
SOLENNI ORATIONE
RECOLENDAM AC CELEBRANDAM
INDICVNT
ORDINARIVS
SENIOR ET RELIQVI ASSESSORES
IVRIDICAE FACVLTATIS.

---

INEST
*Reſponſor. Iuris XCIV.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13

# RESPONS. XCIV.

*Num, qui in termino productionis abeſt, indiſtincte iudicandus ſit probandi media deſeruiſſe.*

In formandis ſententiis, quas pragmatici appellant in contumaciam ferendas, dicaſteria non omnino conſpirare, nemo facile ignorat. Alia reum, qui, litem conteſtando, quoad narrationem factorum ab ipſo commiſſorum neſciendo reſpondet, confeſſum et conuictum pronunciant, alii neſcientem neganti aequiparant. Qua quidem in re ſi inter facta antiqua et recentia diſtinguendum eſſe hercifcundus exiſtimaret, quod reprehenderem, vix inuenirem. Alii, ſi reus citationi morem geſſit, legi iudiciariae vero circa formam litis conteſtationi praeſcriptam non omni ex parte obtemperauit, ſibi vix conſtant, vitiorum vel in citatione ipſa, vel eius inſinuatione commiſſorum ratio haberi debeat an minus? Quod equidem affirmare, et aduocatum mulctare malim. Alii, ſi reus primo termini die in iudicio adfuit, litem vero proſequi et conteſtari, nec non actor eius contumaciam accuſare intermiſit, reum pro confeſſo habendum et condemnandum, alii nouum ex circumductione terminum eſſe conſtituendum, quibus equidem accedo, quoniam, quae mitius reſponſum praebet, rapienda eſt occaſio, exiſtimant. Nec deſunt alii ſuper effectu contumaciae diſſenſus, quos ſingulos perſequi ſuperſedeo.

Subſiſtam in vno, quod nupperrime ex actis iudicialibus in cauſa Z. contra W. coram praefecto Leucopetrano geſtis apparebat.

 Vide-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13

Videlicet reus, probationis propter exceptiones peremtorias ei impoſitae cauſa, articulos, iuncta documentorum conſignatione ac deſcriptione, iunctisque eorum copiis, quum obtuliſſet, euocatus a iudice, vt originalia exhiberet eorumque ab aduerſario recognitionem expectaret, die in hanc rem praefixo non comparuerat, et contra contumaciae accuſationem ab actore factam hac vna defenſione ex *Tit. XIII.* §. *vii. O. R.* verbis *noch vor Ausfertigung der Citation etc.* vſus fuerat, ſe ob intermiſſam cautionem inpenſarum proceſſus ergo praeſtandam, ad litem cum actore continuandam non obligari, donec hic ſententiae paruiſſet. Quae quum exceptio ne quidem obligationem litem conteſtandi per ea, quae in §. *1. Tit. XI. d. O. R.* legimus, ſuſpendat, multo minus eius continuationem morari valebat. Adeoque exiſtimabamus, diſpoſitionem Tit. XX. §. 7. ac Tit. XXV. §. 1. quarum illa ſic habet, *da hingegen der Producent, wenn er in dem anberaumten Termino nicht erſcheinet, an ſolchen Zeugen, und an denen Documenten, ſo ihm zu produciren obgelegen — — ſich verſaumet*, et haec deſertionis poenam diſerte ſtatuit, huc pertinere, et propterea contumaciae accuſationi ab actore interpoſitae concedendum eſſe. Siquidem illa lex eius quidem, contra quem probatur, intuitu, fictae confeſſionis vel recognitionis, non in probante praeuiam deſertionis requirit comminationem. Quod, quum hic ipſe terminum conſtitui roget, ac impetret, mirum videri non debet.

Ferebamus igitur pro more inter nos conſueto, obſequio huius legis ducti, ſententiam his verbis conceptam: *Dieweil nach Vorſchrift der Erl. Pr. Ord.* Tit. XI. §. 2. *die Fatalia des zuerkannten Beweiſes, wenn ſchon den dilatoriſchen Ausflüchten noch nicht abgeholfen, nicht ſuſpendiret werden, ſondern ihren Fortgang haben, und von dieſer Regel die einzige allhier nicht eintretende Ausnahme, wenn vor allen Dingen auf* legitimationem ad cauſſam *erkannt, geſtattet worden, zu Salvirung des Beweiſes aber nicht nur, daß er binnen der geſetzmäßigen Friſt übergeben, ſondern auch*

*auch im Productions-Termine gebührend fortgeſtellet werde* ſ. §. 7. Tit. 20. *der Erl. Pr. Ordn. nöthig iſt; Und denn Bekl. im anberaumten Productions-Termine, wozu er die Ladung erhalten zu haben* fol. 166. *eingeſtanden, nicht erſchienen, und überdem deßhalb vom Kl. Ungehorſams beſchuldiget worden; So hat Bekl. an dem* fol. 70. *ihm nachgelaſſenen Beweiſe ſich verſäumet, derowegen es bey dem* fol 69. ſq. *befindlichen rechtlichen Erkenntniſſe nunmehro ſchlechterdings zu laſſen*, adiecta rei in expenſas proceſſus condemnatione.

Senatus Prouocationum vero nos male iudicaſſe, et in hunc potius modum decernendum eſſe, cenſuit: *Daß Appellant am Beweiſe ſich nicht verſäumet, dannenhero es etc. — — ſondern es iſt des förderſamſten ein anderweiter Productions-Termin, wozu beyde Partheyen unter geſetzlicher Verwarnung, und Appellant beſonders* ſub poena deſertionis *vorzuladen ſind, anzuberaumen, ferner darauf zu beſchehen, was recht iſt. Es wird auch zu dem Ende dieſe Sache an vorigen Richter billig remittiret. Jedoch iſt derſelbe, da bey der an Appellanten ergangenen* fol. 145. *befindlichen Vorladung die Vorſchrift der Erl. Proz. Ordn.* Tit. IV. §. 1. *und* Tit. XXV. §. 1. *nicht gehörig beobachtet, und dadurch ein vergebliches Verfahren veranlaſſet worden, die* fol. 159. *angeſetzten, und* a fol. 160. *bis* fol. 215. *fernerweit verurſachten Unkoſten denen Partheyen abzufordern ſich zu enthalten, hingegen die* ixt. fol. 145. *bereits bezahlt erhaltenen Gerichtsgebühren wieder zu erſtatten, auch die Sportel-Caſſe in Anſehung des baaren Verlags zu entſchädigen verbunden.* Nitebatur itaque noſtra ſententia in §. 7. Tit. XX. quae contra aduerſarium confeſſi et conuicti poenam praeuia demum eius per citationem comminatione conſtituit, probantem contra ſtatuto die in iudicio non comparentem ſimpliciter, non ſimul conſtituta comminationis praemittendae neceſſitate, omnium, quibus in articulis vſus fuerit probandi mediorum, quippe teſtium, documentorum et iuriſiurandi delationis expertem eſſe iubet, idemque, documenta quod attinet, §. 1. Tit. XXV. iisdem verbis repetit. Ex quo, haud

neceſſariam eſſe praeuiam deſertionis comminationem, eo iuſtius inferre nobis videbamur, quo apertius iſta oppoſita iuxta ſe poſita hanc interpretationem iuuant, et quo magis ipſa haec diuerſitas cum iuris ratione conſpirat. Siquidem is, qui articulos probatoriales exhibet, litteris, quibus eam Iudici offert, ſimul productionis terminum impetrare ſtudet, et ſi in hoc peragenda intermittit, ſuo ipſius facto aduerſatur, vt adeo pari cum altero, in quem inuitum omnia peraguntur, fauore dignus eſſe non poſſit. Quam ob rem, noſtra interpretandi ratio ſententiae et voluntati legislatoris conſentanea ſit, an minus, aliis iudicandum relinquo.

Contra iudicio Senatus prouocationum vnice patrocinatur §. 1. Tit IV. verbis: *Solches auch im Fortgange des Prozeſſes, ohne Unterſchied, ob es Klägern oder Beklagten, ingleichen Impetranten oder Impetraten betreffe, bey allen und jeden Citationen, welche unter einer gewiſſen Commination geſchehen, oder wo es ſonſt auf ein Fatale ankommt, beobachtet werden*, et ſuppoſitio, legem hoc loco propoſitam nullam admittere exceptionem. Hanc igitur ſententiam ſequar, ſiquidem occaſionem ſponte et lubenter arripio, quae benignius reſponſum praebet.

Vt vero appendicem in illa Senatus ſententia ad iudicem directam ſimul probem, a me impetrare non poſſum. Nimirum ſcimus, arctatoria Iudicis praecepta, licet ob defectum legis vel rei iudicatae ſimul peremtoria eſſe non poſſint, a partibus impune haud negligi. Scimus omnes, vbi non recognitae, ſed antiquae Saxonum legi iudiciariae parendum eſt, qui citationi morem non gerunt, modo tempus legitimum conceſſum reperiatur, hoc certe damnum incurrere, vt expenſas termini vel praeteriti, vel, pro re nata, futuri ferre, et aduerſario reſtituere iubeantur, et compellantur, idemque inter nos incommodum ſequi eos, quos in integrum reſtitutionis beneficium contra aliud grauius diſpendium, vel cauſae ipſius iacturam tuetur. Accedit, iura noſſe non magis iudici, quam aduocatis incumbere.

bere. Peccaſſe igitur aduocatum immorigerum et legi non obtemperantem, plane indubium, id vero vehementer dubium, vitio vertendum ſit iudici, an minus, qui poenam lege comprehenſam aduocato nunciare ſuperuacaneum, et inutile, nec non, ob virtuale iuris ignorantiae opprobrium, in ipſum cauſae patronum quodammodo iniurium duxerat. Ex quibus, ſi quid video, conſequitur, in re praeſente impenſas, ſi non contemtu, certe neglectu legis contractas, non iudici, ſed cauſae patrono ex ſuo, non clientis, patrimonio incubuiſſe. Vt adeo illum rigorem in iudicem, et indulgentiam in reum immorigerum commiſſam eo magis miratus ſim, quo magis vtrumque non ſolum legis iudiciariae ratio, ſed etiam lex d. 12. Aug. 1670. ad hunc Senatum directa, Ordinat. Rec. ſub num. XIX. adiecta improbare, noſtramque ſimul ſententiam tueri videtur.

In his, quae praemiſiſſe non inutile duxi, ſubſiſtere debeo, vt, cuius cauſa haec ſcripta ſint, profitear. Inſtat nimirum dies natalis ICti quondam inter nos conſumatiſſimi, et in illuſtri Scabinatu Senioris celebratiſſimi

D. IOANNIS FRIDERICI MAGERI

Hic inter alia ſplendida humanitatis et beneuolentiae erga ſingulos collegas documenta ſortem duorum millium ioachimicorum per teſtamentum conſtituit, cuius vſuras quotannis iurium ſtudioſus bonae frugis, inprimis Scabini filius, perciperet, et die ipſius natali, quippe VI. Noubr., ſuper themate a Scabinatu praeſcripto orationem recitaret, ſimulque diuinam tutelam praedicaret. Hoc anno mactatus hoc beneficio CAROLVS EINERTVS, Senatus illuſtris Syndici, noſtrique collegii Aſſeſſoris meritiſſimi, filius, qui iam variis ſpeciminibus teſtatum fecit, ſe paternam virtutem firmo pede ſequi, proximo Martis die pio hoc officio functurus, *primam virtutem et laudem in Iuriſconſulto eſſe probitatem*, orando demonſtrabit, diuinamque prouidentiam ac teſtatoris munificentiam gratus celebrabit.

Hanc

Hanc igitur Panegyrin vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, SERENISSIMVS PRINCEPS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMIQVE AC GENEROSI COMMILITONES, praeſentes ſrequentesque illuſtrare et condecorare velint, ſingulos humaniſſime cupio rogatos.

Scribeb. Lipſ. Domin. XXII. poſt Feſt. S. S. Trinit. A. C. MDCCXCVIII.

---

EX OFFICINA SAALBACHIA.



VD18

56.

ULB Halle 3
004 996 720

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13

1798, 3.

# MEMORIAM
# IOANNIS FRIDERICI MAGERI
SENIORIS IN SCABINATV

QVONDAM MERITISSIMI

IN

AVDITORIO ICTORVM

D. VI. NOVBR. A. C. MDCCXCVIII.

HORA IX.

ATIONE

RANDAM

IVS

SSESSORES

TATIS.

V.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-318714930-13